Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1681. die 20 Octobris

Jacobi Ign. Staniel: Munera laureata ex aureis eruditae gloriae fructibus honorifice delecta Vv. DD. IV primae laureae Candidatis – dedicata.

MVNERA LAVREATA,

Ex Aureis eruditæ gloriæ fructibus, honorificè delecta,

VV. DD. IV. Primæ Laureæ Candidatis,

Dùm

IN ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI

PER

Excellentißimum, ac Doctißimum Dominum

D. M. BASILIVM PLASCZEWSKI,

Philosophiæ Doctorem, & Professorem, Collegam Minorem,

In Nobilißima Magnorum Hoßpitum corona,

ARTIVM, ET PHIL: BACCALAVREI

Ritu solenni

RENVNTIARENTVR,

Amoris, & gratulationis ergo;

A B

IGNATIO STANISLAO IACOBI,

eiusdem Laureæ Candidato,


Applausu, & Concentu Apollinari.

DEDICATA.

Anno Salutis 1681. die 20. Mensis Octobris.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.

In Gentilitium Insigne NOBILISSIMÆ DOMVS RYLSCIANÆ.



Bellator gladius, post tot victricia gesta,
　　Postq; triumphatum nobile Martis opus.
Non poterat melius, gemino quàm lumine condi,
　　Nam claros actus, lux quoq; clara decet.
Non tamen hic totus, quamuis post bella quiescit;
　　Inuictam rursus cogitat ille manum.
Illi si geminæ famulantur cornua Lunæ,
　　Vnica, quem nosti, Thracia Luna caue.

Stanislaus Iosephus Prochowski,
Stud: Poëseos.

Illustri & Magnifico Domino,

D. MICHAELI
DE RYLSKO
RYLSKI,
PINCERNÆ ŁANCICIENSI,
DOMINO ET PATRONO AMPLISSIMO.

PVlcherrimum in Orbe decus, virtute, & eruditione paratum; quod in Laureatis Muneribus Pallas nostra dispensat; sub aspectum lucis publicæ, vt tantò illustrius prodeat, claritudinis Tuæ geminum, in fulgentissima Cynthia respicit fontem, Illustris & Magnifice Domine. Nouit quippè mens omnis erudita, Phœbi, & Cynthiæ germana lumina esse: illudq; maximum in Sapientia haberi; quòd licet ipsâ origine cœlestis, & interno splendore limpidissima sit; gaudeat tamen Illustrium Nominum claritudine insigniri; vt tota ipsa aurea, his ceu pretiosis, tantò pulchrius resplendeat gemmis. Nec vero euaginatus hic, inter geminas Lunas Mucro Tuus, arcet communicationem splendoris Tui, Palladisq; nostræ fiduciam terret; quæ non ita exarmauit mentem, quamuis pacis Studia colat; vt Bellonam quoq; se esse non cogitet; & cùm Heroicos animos laureis coronet, etiam Gladij istiùs victorias amat. Ita profectò est, nemo sacras Ioui Capitolino laureas vouit; Nemo ad Aram eius victorem gladium suspendit; quin vel Punico, vel Macedonum sanguine priùs madens per mille ictus, & vulnera iuerit, cui tantò gloria maior, in hostium ceruicibus, quantò magis acies obtusa. Ad hanc aciem, inter geminas Cynthias Tuas, post Opus immortale fulgentem; quæsita erudito certamine, Laureata Munera nostra veniunt; conscia nimirùm splendidissimi in Regno Sanguinis Tui; cuius origo, vt ab inuicta fortitudine bellica cœpit; ita nunquam sine victricibus laureis, in facie Orbis Poloni triumphauit: Meruit hoc primus ille Heros Ostoia, cui hæc arma in præmium virtutis cessêre; vt á Boleslao Audace Rege fortissimo insignitus; nunquam deinceps, sine coronamentis gloriæ, in posteris viueret: deductaq; per tot sæcula Prosapiæ venerabile Senium, non annis, sed rerum gestarum pulcherrimâ serie computaret. Ab hoc fonte, splendidissimus RYLSCIORVM Sanguis, tot nomina præmisit, & intulit æternitati; quorum Panegyres, non sunt pagellæ huius negotium; sed meditatum exquisitè magnarum mentium opus: Nouerit æui sui felicitas, FELICEM RYLSKI, Ecclesiæ Vladislauiensis Prælatum, summâ virtute, & eruditione illustrem. Ambiant immortales coronæ, dilecta quondam Magnis Regibus Capita in FRANCISCO RYLSKI, Magno Procuratore Arcis Cracouiensis; in IOANNE D. SIGISMVNDI III. in SAMVELE Capitaneo Rabstinensi, & MARCIANO D. VLADISLAI IV. Aulicis Cubicularijs;

Viris vt augustâ Principum gratiâ, ita & fastorum perennium memoriâ dignis. Loquatur Themis Polona, PETRVM RYLSKI *Notarium Rauensem*, ALBERTVM *Tribunum Zitomiriensem, & in* STANISLAO RYLSKI *præcellentem togâ, sagoq; gloriam, cum omni æuo communicet. Claritudo omnis, & dignitas Sanguinis Tui, satis in Te effulget; quem tantæ gloriæ superstitem, ætas nostra sibi gratulatur; tot simul nomina vno pectore, compendio virtutum omnium conclusisse. Probatissima Magni Animi Tui decora fuêre; Serenissimis Poloniæ Regibus* IOANNI CASIMIRO, *&* MICHAELI, *coram quorum Regali Solio illibatæ fidei, magnæ prudentiæ, & dexteritatis laude enituisti: Heroicâ virtute Tuâ non contentus, Regum gratias mereri, nisi cruento quoq; Martis negotio, Patriæ amorem meruisses. Secutus es bellicosum gentis nostræ genium, & iuisti contra hostes Patriæ, cùm alibi; tùm præcipuè in memorabili illo ad Chocimum conflictu, in quo cohorti Militum Præfectus, manu, & animo inuictus, vt validissima illa castra Othomanica, cum vniuerso Turcarum Exercitu, funditùs delerentur, ausu planè maximo, vnà cum alijs generosissimis Poloniæ Heroibus effecisti. Auget quoq; inclytum hoc bellicæ gloriæ decus magna Tui apud omnes, & in facie Reipublicæ æstimatio; cùm pro Legum integritate, pro communi salute, pro vero & legitimo statu libertatis; in Conuentibus publicis, in Iudicijs & Commissionibus, & vbi amor Patriæ postulat, strenuè agis, & ex tripode verè oracula loqueris. Authoritate proindè, & amore, Nomen Tibi amplissimum, & digna Sanguine Tuo gloria crescit; quam ego quoq; dùm submissè veneror, in authoramentum Magni Patrocinij, & experti fauoris, Laureata hæc Munera Immortalitati Tuæ consigno. Coronabit illa tantò ampliùs, præcelsi Nominis Tui dignitas, & amplitudo, reddetq; fructus verè aureos, summa humanitas, & gratia, ab aureo pectore Tuo profecta; in qua Palladis hæc ornamenta cùm depono, vota pro Te DEO Immortali nuncupo; vt longæuo annorum Tuorum circuitu, Gentilitij splendores Tui, vnà Tecum, in maxima honorum, & felicitatis auge coruscent.*

ILLVSTRIS ET MAGNIFICÆ
DOMINATIONIS TVÆ

Cliens deditissimus

Ignatius Stanislaus Iacobi,
Primæ Laureæ Candidatus.

D. IOANNI CANTIO,

CONFESSORI,

Regni Poloniæ, & Academiæ Patrono,

IN ARGVMENTVM DEVOTISSIMI CVLTÛS.

Oliua ſpecioſa, in campis Poloniæ, nouò translata Feſtiuitatis eius honore transplantata.

Cum Epigraphe,

Vt aſſurgat ad ſummum.

ORbe Lechæo gelidam per Arcton,
Quando ſolennes veniunt triumphi
Diue CONFESSOR, Tibi deſtinatæ.
Lucis honore;
Dùm vias paſſim viridante lauru,
Templa millenis decorata gazis,
In Tuos cultus renouat Mineruæ
Cura togatæ.
Cordium toto reſonante plauſu,
Nos decet ritus celebrare ſacros;
Roma quos nuper Tibi Vaticano
Culmine ſanxit.
Imus en toti rapimurq; iuſtis
Gaudijs; in Te dat amica Pallas
Dona, quæ ſupplex pietas beatis
Ponit in Aris.
Munus à nobis oleæ virentis,
In Tui prodit faciem triumphi;

Has Tibi frondes damus, eruditæ
Pacis amicas.
Nempè Tu campis Patrijs oliua,
Factus es nuper speciosa; quando
Dextra Te Magni Patris INNOCENTI,
Transtulit auge.
Hoc decus nostrum, celebrisq; Festi
Omen hoc felix; quod ab auspicata
Hâc die, Lechis oleæ virentis
Pax bona surget.
Tuq; plantatus nouiter, feraces
Gratiæ fructus dabis, vnctione
Spiritus plenos, noua charitatis
Viscera pandens.
Sic Tuis frondes oleæ triumphis
Supplici cultu, tenerasq; laurus
Diue sacramus, simul & canori
Barbita plectri.
Tu nouos Regno, Craciæq; Matri
Redde successus, oleamq; pacis
Bistonum fusâ rabie, Polono
Iunge trophæo.

CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS
EXAMINATORIBVS,
Clarissimo & Excellentissimo Domino,
D. M. RAPHAELI
ARTENSKI,
Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Ordinario
Eloquentiæ Professori,
ac interea
PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS DECANO;

Claris-

Clariſsimo & Admodum Reuerendo Domino,

D.M. BASILIO OLSZYNSKI,

Philoſophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio Profeſſori, Canonico S. Annæ;

Clariſsimo & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. SEBASTIANO TARALICZ,

Philoſophiæ Doctori, Collegæ Minori, Præpoſito S. Adalberti;

In Symbolum debitæ venerationis & gratitudinis,

Palmæ ex Indijs feraciſſimæ, innumeris propè humanis vſibus accommodatæ, fructus verè aureus;

cum Lemmate:

Sapientia bono publico nata.

DOtes beatas, raraq́; munera,
Palmæ virentis, germinat Indiæ,
Eous Orbis ad ſtuporem
Ingenij, calamiq́; docti.
Nam mille in vſus, arbor vt exeat
Natura fecit. Seu Pelago ratem
Aptare mauis, perq́; Ponti
Æolios volitare tractus;
Terrena ſeu te ferre negotia
Campi requirunt, ſiue domeſticæ
Neceſsitati conſulendum;
Omnibus vna ſatis, ſuperq́;
Hæc palma ſeruit. ceu ſuper aureo
Curru refulgens Phœbus in æthere;
Vnus, ſed ad res vniuerſas,
Innumero famulatur vſu.
Pari togatæ vis Sapientiæ,
Bono triumphat. Scilicet omnibus

Hæc nata communi theatro,
Publica vult bona, non ſeipſam.
Hînc mille palmas, milleq; Delphicas
Laurus meretur. quas ferimus Tibi
Præſes Sophorum Purpurate;
Quem decorat Peripatus, & quem
Cœtus Stagyræ maximus æſtimat,
Stoæ palæſtram cùm Tibi Craciæ
Commiſit ARTENSKI, *chelymq;*
Muſa Tibi, ſapidumq; nectar.
Cum Suada cultu flexanimo dedit,
Nam penna felix Te ſibi vendicat;
Itura cum ſcriptis in Orbem,
Quam ſolidus labor, & modeſta
Virtus coronat. Te quoq; porticus
Doctæ loquentur, roſtraq; publica,
Præcellis, OLSZYNSKI *diſerto*
In quibus ore Tuo, ſacroſq;
Plauſus mereris. Tu niueo places
Candore mentis; dexteritas Tibi
Claretq; cum virtute iuncta,
Ingenij Cynoſura docti.
Ad æuiternæ lumina gloriæ,
Palmas TARALICZ *Te quoq; nobiles*
Prenſare fas eſt, iam ſacratâ
Quando manu Tibi ferre, pignus
Cœleſte fas eſt; quod cathedras Tuo
Iam ſanctiores eloquio parat;
Vatemq; Phœbi nunc honorat,
Diua fides, pietaſq; Myſtam.
O ergo tantis nominibus Viri!
Hæc Gratiarum Munera ſumite,
In pignus æternum, quod altus
Veſter honos, ſapienſq; virtus.
Craci ſupremis poſcit in exedris,
Vos monſtret Orbi gloria Lechico;
Vt ſemper in ſublime tendit,
Palma onerum generoſa victrix.

MVNE-

MVNERA
LAVREATA.

I. V.D. CASIMIRO OLSZOWSKI.

Fructus ex laureto Cæsaris Augusti, ex quo solis nonnisi Imperatoribus Romanis, triumphales concessæ coronæ.

Cum Epigraphe:

Pulchrius effloresces.

IMperij Latium Sedes, Orbisq; Supremum
Roma Caput, quoties armis vincente Gradiuo,
Iure triumphales concedi iussit honores;
Tempora non licuit lauru cinxisse virenti,
Victorum nisi sola caput cinxisset in Vrbe.
Cæsaris Augusti laurus, quæ sola coronis
Omnibus vt potior, sic nonnisi fascibus illam,
Et trabæis gestare datum. pulcherrima sed te
Fructibus his ornat, sapientis gloria cœtûs
OLSZOWSKI, dotesq; tuas hac fronde coronat.
Nam licet è pulchro venias lectissimus Ortu,
Ingenio quamuis felici mens tua præstet,
Tot simul ornamenta ferens, tot symbola culti
Pectoris, & Suadæ cultissima dona disertæ;
Laurus amica tamen Studijs, dilectaq; Phœbo,
Egregiè cœptum, cuius felicibus in Te.
Pulchrius exornabit Opus, cùm sedulus iste,
Compositusq; animus, quem mens tua candida præfert,
Palladis hac lauru sic efflorescet, vt olim
Sublimes virtute Tuâ merearis honores.

II. V.D. BARTHOLOMÆO AVGVSTINO DVTKIEWICZ, Miechouien.

Fructus ex Lauru Delphica, celeberrimis apud antiquos Phœbi responsis, maximè commendata.

Cum Lemmate:

Tu Iuris responsa dabis.

PRiscis Argolicæ secula gloriæ,
Quando floruerant, Delphica maximis
Terras Cecropidum laurus honoribus
Commendat sacra Apollini.
Hûc cœtus sapiens orbe Pelasgico,
Hûc iuit populis Hellas in omnibus;

C *Dùm*

Dùm reſponſa petit, dùm tripodis ſacrum
Numen conſulit aurei.
At nunc Diua Themis, Iuris ab exedra
Reſpondet populis, Iuſtinianei
Arcanum Studij, ſceptraq́ Principum,
Orbisq́ Imperium regit.
Illam peruigili mente Tibi placet
DVTKIEWICZ, *potiùs quàm tripodem ſequi*
Phœbæum, vt ſapiens conſilij penu
Communi referas bono.
Hæc eſt ingenij teſſera nobilis,
Suadæ flexanimæ iungere Gratias
Diuinæ Themidi, quæ Tibi gloriam
Et nomen dabit inclytum.

III. V.D. ANDREÆ IGNATIO LADOWSKI, Wyſſogrodien.

Fructus ex Amaltheæ cornu, Diuorum immortali gloriæ ſacer.

Cum Epigraphe:

Vbertas doctrinæ maior.

QVidquid habet virtus, & doctæ gloria Stoæ,
Felix ingenium, quidquid honoris habet;
Numinis hoc donum, cœlo deſcendit ab alto;
Vnde eſt totiùs fons & origo boni.
Diues Amaltheæ cornu, ſi fructibus implet
Copia; de cœlo tota fauente venit.
Hæc rursùm ad Superos vbertas tota refertur.
Namq; boni gratæ ſic meruêre vices.
Inde Tibi ferimus, cùm munera docta LADOWSKI,
Cœlitùs hæc in Te dona venire puta;
Sic animo præſtans, ſic & virtute decorus
Doctrinæ capies Munera plura polo.
Pulcher Amaltheæ fructus; ſed pulchrior ille
Quem fœcunda Viri mens ſapientis habet.
Vbertate ſuâ gaudet Pomona, ſed ò quàm
Tu Studij fructus vberioris amas!
Quando Sophûm cathedras, & priſcas diligis artes;
Quando Tibi Suadæ culta fluenta placent.
Crede mihi, nihil eſt animo felicius illo,
Qui verè ſolidâ cum probitate ſapit.

IV. V.D. FRANCISCO IOANNI LEBKOWICZ, Sandecen.

Fructus ex Punicis arboribus, aureum Solis colorem referens.

Cum

Cum Lemmate:

Ad lucis faciem te conforma.

Æstuant Solis radio calenti
Hîc vbi partes Libyæ, sub axe
Torrido; cœlos vbi fert stupendis
Viribus Atlas.
Aureis hîc se pretiosa malis
Prodit vbertas; radiosq; Solis,
Et iubar fulgens imitata, claris
Ignibus ardet.
Mentis hoc fulgur Tibi claret intùs
Sole, LEBKOWICZ, *radiante, quo Te?*
Suada dignatur riguo diserti
Ore metalli.
Aureos fructus, & amica Phœbo
Dona cùm prensas; nitor eruditus
Fulgurat tecum, per aprica doctæ
Culmina Stoæ.
Sic tuas dotes, geniumq; forma,
Vt ferat lucis faciem togatæ;
Hæc coronato dabit altiores
Lux tibi sedes.

V. D. IGNATIO STANISLAO IACOBI,

PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATO,
AVTHORI OPERIS.

Laurum Apollinarem, aureis Hesperidum fructibus coronatam.

Cum Epigraphe:

Decent pulcherrima Vatem.

V. D. CASIMIRVS OLSZOWSKI, eiusdem Laureæ Candidatus,
In argumentum mutui affectûs, & gratulatorij applausus,
OCCINIT.

DVm laureatæ Munera Palladis
In nos refundis, non decet aureo.
Carere Te dono IACOBI,
Hesperijs quod amica terris
Pomona fructu germinat arboris;
Custodit Orbi quam Draco peruigil;
Sed cedit inuicto labori,
Herculeo celebratus ausu.
Ex hac corymbos nectimus aureos,
Laurumq; sacram deferimus Tibi;
Tui coronamusq; plectri,
Dulce melos cytharam canentem.

Dilecta Musis nam Tibi Gratia,
Cùmq; elegantis dotibus ingenî,
Laus omnis erudita seruit,
Indolis egregiæq; cultus.
Vatem Pöesis diligit inclytum,
Cyrrhæq; fontes Castalius latex,
Te propter, & Pindi fluenta
Dulcifluo reserauit amne.
Virum Mathesis postulat, & sibi
Desponsat in Te pectus amabile,
Dabitq; terrarum, & polorum
Sidereos numerare tractus.
Sic æuiternæ Munera gloriæ,
Feres, trecentis non sine plausibus;
Vates coronatus, Sophusq;
Astrigeram referens Mathesim.



Sub Felicissimis auspicijs

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini,

D. M. SIMONIS STANISLAI
MAKOWSKI,
S. Theol: Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris,
Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Custodis, Curati Nasiechouicensis,
Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, S. R. M. Secretarij,
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis &
Vigilantissimi
RECTORIS.